

lenni ritu dicta fuit. Nec semel, sed sæpius cum Auditorum fructu, quin & Principum assensu, concionatus est, variasque in Academia nostra Studiosis Scholas aperuit, quas diligenter frequentarunt. Illud vero præ cæteris gaudet, se nunquam in Academiis coram Magistratu, aut reum, aut actorem, aut testem oculatum, aut sub alio habitu stetisse. Tractatum præterea conscripsit Theologicum, sistentem in synopsi errores Christiani Democriti, quos confutavit solide omnes, qui tractatus brevi, si Deus voluerit, in lucem prodibit. Deniq; singulari divini Numinis providentia accidit, ut ante aliquot hebdomadas, præter suam spem & expectationem, ad subeundum munus Diaconi in templo Parochiali urbis Memelensis, consentientibus omnium collegiorum civiumque suffragiis, rite vocaretur. Quam vocationem, cum legitima & divina sit, salva conscientia renuere, aut recusare noluit, sed, uti decet, in nomine SS. Trinitatis eandem amplexus est. Antequam vero hinc discederet, modeste petiit a nostro Theolog. ordine, ut gradum titulumque SS. Theolog. *Licentiati* sibi conferre benevole velit. Ordo
igi-